ORIGENES. MARCUS FRATER
Admont, 2. Hälfte 12. Jh.
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26142
Copyright: Admont, Benediktinerstift



discipuli necessaria obseruati
one custodiunt. Et si uidetur prius de
his ipsis que lege quidem scripta. sed tamquam
in euangelio sermo moueatur. Cum hec
patuerint iam quid etiam spiritualiter sen
tiri debeat requiramus. Sunt ii
qui ita dicant. quia si aliquid omnino
obseruandum est secundum litteram. cur
non et cuncta seruentur. Si uero ad spiritu
alem intelligentiam que lex continet
referenda sunt. nichil omnino secundum
litteram. sed spiritualiter debent uniuersa
discerni. Nos autem utriusque asser
tionis insolentiam temperantes.
qualis regula in huiusmodi legis
sermonibus obseruanda sit ex
auctoritate diuinarum scripturarum
proferre temptabimus. Scriptum est
in .xviii. psalmo. Lex domini in re
prehensibilis conuertens animas
testimonium domini fidele sapientiam
prestans paruulis. preceptum domini
lucidum illuminans oculos. ti
mor domini castus permanens in
seculum seculi. Iusticie domini recte
letificantes corda. iudicia
domini uera iustificata in semet
ipsa. desiderabilia super aurum
et lapidem preciosum nimis. et dulciora
super mel et fauum. Nisi ergo essent sin
gula ista a semetipsis diuersa.
numquam utique [illegible] a uero proprias uni
cuique diuina [illegible] scriptura dif
ferentias indidisset. ut aliud
de lege domini diceret. aliud de
mandato. aliud de iustifica
tionibus. aliud de iudiciis. Est ut
ex his ostendimus aliud preceptum.
aliud testimonium. aliud iusti
ficatio. aliud iudicium. Sed et in
ipsa lege euidentior horum dif
ferentia designatur ubi dicitur: Hec
ergo lex et mandata. iustificatio
nes et precepta. et testimonia.
et iudicia. que precepit dominus moysi.
Cum ergo hec ita se habere et his a se
inuicem differre distinctionibus
legis ipsius testimoniis appro
bentur. diligentius debemus inten
dere his que recitantur ex lege.
quia sic ubi scribitur uerbi gratia. hoc
esse mandatum. lex accipienda
est. et sic ubi scriptum est. iste sint ius
tificationes. aut lex. aut man
datum. putande sunt. Similiter autem
et sic ubi scriptum est testimonium.